

abjecti, revera a. omniū ditissimi, Deo proximi & charissimi sunt. Iidē suo sē-
 su infidelissimi sunt Deo, quantumvis
 sumam fidē & zelum adhibeant in di-
 vino honore, promovendo, & contem-
 ptu vicissim impediēdo, eaq; causa an-
 gantur gravissimē. Ab eadē fide & cha-
 ritate in Deū (id quod tamen ipsi igno-
 rant) provenit, quod varijs tētationib;
 quibus consentire nolunt, torquētur,
 sic ut mortē sibi ducant potiorē, dum
 imperfectiones suas emēdare & virtu-
 tē excolere satagunt, minore quā vel-
 lent conatu, & proinde cū gravissimo
 animi dolore. Breviter cum apud Deū
 facile purissimi hominum sint, at sua
 tamē sententia, pejores sunt universis.
 His ergo nihil consultius, nihilq; salu-
 tarius est, quā in patientia & mansue-
 tudine tolerare quod mutari neqvit, &
 per impatientiā exacerbatur. Etenim
 post hanc densissimā ineffabilis tristi-
 tiæ noctem sequetur lux charitatis di-
 vinæ perinde inexplicabilis.

CAPUT LIV.

CONSOLATIO IN OCCULTIS
 internisq; tentationibus Satanæ, bla-
 sphemis & impijs cogitationibus
 corda nostra impugnantis.